



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Dimensiones illæ ad Christi crucem variè applicatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

licatis prætuliffem. Nam si is in sua Porticu ambulans, hoc est solo Stoicæ moralisq; Philosophiæ ductu, in rebus tribulibus atque acerbis vidit inesse quiddam, quo eas præ cæteris optandas sibiq; adamandas diceret, si rerum istarum externarum alias alijs præstare existimaret: quo nos animi sensu circa res istas, earumve delectum, esse convenit, qui divinorem profitemur Philosophiam, & illa in Crucifixi schola recepta axiomata, tollendam crucem, odio habendam animam suam, paupertatem opibus beatiorē esse, luctum, gaudio, aspera mollibus, acerbis suavibus anteponendam, non ut paradoxum aut abstrusum quiddam in ea disciplina accipimus, sed apertè difertēq; proposita in omni penē Evangelij pagina legimus?

CAPUT XIII.

Amatorem Christi juvat interdum, latitudinem & longitudinem, sublimitatem & profundum crucis investigare.

§. I.

Dimensiones illæ ad Christi crucem variè applicatæ.

E Gregius Christi crucifixi prædicator Paulus, ad Ephesios scribens, hoc illis à Deo precatur inter cætera: *Ut possitis, inquit, comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profundum, &c.* Quibus verbis S. Augustinus & plures alij putant Apostolum respexisse ad dimensiones crucis Christi, in quibus varia lateant mysteria, nostrâ consideratione dignissima; quibus eruendis, potes te hoc pacto, suavi atque utili meditatione exercere. *Primò igitur: considera, quæ & quanta* sic
lati-

latitudo Crucis Christi. Quod si ad cruciatus quos ipse passus est, retuleris: inuenies crucem ejus fuisse latissimam, cum omnia pœnarum ac dolorum genera comprehendat, quæ etiam ipse pertulerit, in membris omnibus sui corporis, omnibusq; animæ facultatibus, idq; ab omni hominum genere, atq; adeo ab ipso Deo Patre suo percussus & derelictus.

Si autem ad eas virtutes, quæ crucem illam mysticâ ratione constituunt; secundum Augustinum, latitudo crucis Christi est charitas: quæ utique in eo fuit latissima, ut quæ ad omnes prorsus homines, omniq; tempora ac loca se extenderit. Pro omnibus enim mortuus est Christus; præteritis, præsentibus, futuris; Judæis, Græcis & barbaris; pro quibus etiam, si ita esset necessitas, libens atrociora sustinisset supplicia, neque semel duntaxat, sed sæpius, quæ erat cordis latitudine, pro ipsdem immolatus fuisset.

Secundò: metire longitudinem crucis Christi: quæ quidem per omnem ipsius vitam protensa est; quando & ab ipso conceptus sui puncto, usque ad mortem, semper si non re ipsâ, ac mente tamen & affectu crucifixus fuit; nolens vel ad momentum de illa cruce sua spiritali descendere, aut ab artissimo ejus amplexu separari; ut paulò post magis declarabitur. Quin & illud hîc addere possumus: Christo etiam ad vitam immortalem abeunte, adhuc protendi & adimpleri passiones ejus; eòq; illum membrorum suorum afflictiones, suas quodammodo facere; ut quando id per sese non potest, in suis certâ ratione ad finem usque mundi patiatur: de quo item aliàs fortassis erit specialis dicendi locus. Ergo crucis longitudo, perseverantia est in sufferendis adversis, de qua breviter S. Augustinus: *Si vis habere crucis longitudinem, habeto perseverandi longanimitatem.*

Tertiò: Suspice crucis Christi sublimitatem; quæ indicat excelsos illos fines, ad quos Christi mors & passio, divino

Serm. 7. de
Verb. Apost.

Serm. 7. cit.

vino consilio relata & ordinata est; maximam nimirum DEI gloriam, mortaliūmq; salutem. Quos etiam fines spectavit Christus in omni vita sua; professus, se tantum Patris sui gloriam quærere, & ut vitam æternam habeamus, *serm. 7. cit.* *nisi.* Quid enim est (inquit Augustinus) habere altitudinem, nisi cogitare DEUM, amare DEVM, & gratis amare, ipsum DEVM adiutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum præmij largitorem, postremò ipsum præmium depretare, non aliud ab ipso quàm ipsum expectare. Et, ut idem *Tract. 118. in* alibi uno verbo: *Joan.* Altitudo significat supremum finem, quæ cuncta opera referuntur.

Quartò: scrutare, si potes, profunditatem crucis Christi: hoc est, acerbiter & graviter dolorum, & ignominiarum ejus, sive profundissimam ejus humilitatem & abjectionem. Etenim in passione sua Salvator in altissimam abyssum depressus fuit, abyssum nuditatis, abyssum doloris, abyssum ignominia, abyssum derelictionis. *Serm. cit. & ep. 120.* Quam Augustinus hoc ad profunditatem judiciorum DEI retulit, quæ perscrutari nobis aut pervestigare fas non est; seu, quod eodem redit, ad profunditatem gratiæ DEI, quæ & nobis occulta est, & à qua tamen, velut radice, procedunt universa quæ rectè facimus.

Ser. de pass. Neque ab his multum abscedit illa S. Bernardi sententia, ita Christum precantis: *Illam divinissimam crucem hominis meis impone, cujus latitudo est charitas, cujus longitudo est aternitas; cujus sublimitas est omnipotentia, cujus profundum est inscrutabilis sapientia.*

Serm. 7. cit. Hic verò exclamat S. Augustinus, nostram circa aliam curiositatem, & circa hæc ipsa incuriam, exagitans: *Quid corde pergis, homo Christiane, per latitudinem terra, longitudinem temporum, altitudinem cæli, profunditatem abyssus? Ipsum audi Apostolum dicentem tibi: Mibi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi. Et nos in illa glo-*

riemur. Ibi fortè inveniemus & latitudinem, & longitudinem,
& altitudinem & profundum. His enim Apostoli verbi, crux
quodammodo nobis ante oculos constituta est.

§. 2.

Nostram etiam crucem iisdem dimensionibus constare
debere.

EX his autem pronum est definire, quibus itidem dimen-
sionibus crux nostra constare, aut quemadmodum compo-
ni & constitui debeat. Nam tamen, ut monet Salva-
tor, unicuique nostrum crux sua ferenda est; sua, inquam,
velut unicuique propria, & in alijs, alijsq; diversa: id ta-
men duntaxat de ipsa crucis tanquam materia accipiendum;
quasi cruce nostræ, sive inter sese, sive cum Christi cruce
comparatæ, non eodem omnes, sed diverso ligni genere
constent; dum alter mœrore animi, alter corporis mor-
bis affligitur, hujus honor & existimatio, istius fortunæ
atteruntur; quem in sensum scitè pièq; dictitabat S. Franci-
scus Salesius nolle se sibi crucis suæ ligna deligere, sed quã-
cunque Deus, & quacunque ex materia, crucem impone-
ret, promptè tollere, constantèq; perferre.

At si formam ipsam dimensionèsq; spectemus, omnis
sanè crux nostra, quocunque tandem è ligno constet, ipsi
cruci Christi configurari & conformari debet: ut nempe
eodem spiritu, quo crucem suam Christus tulit, nostram
ferentes, ipsam quodammodo Christi crucem omnes fera-
mus, eidemq; cum illo cruci figamur, fiatq; in nobis, quod
de se agebat Apostolus: *Christo confixus sum cruci*: quod e-
quidem ille non ita diceret, nisi in ipsa Salvatoris cruce se
simul cum illo suffixum esse sentiret.

Quibus igitur mensuris, seu virtutum perfectarum of-
ficijs, constitit spiritualis crux Christi, iisdem & nostra in-
struenda & coagmentanda est. Ut nimirum quidquid acer-
bita-